Buczkowski Matth. Chrysost: Πανεγυρικος κροτος seu Plausus laudativus D. Stanislao Lubienski gratulanti animo factus.

ΠΑΝΕΓΥΡΙΚΟΣ ΚΡΟΤΟΣ,

Seu

PLAVSVS LAVDATIVVS

Omni virtutum genere, & doctrinæ præstantia,

ILLVStri VIRO ATQVE AMPLISSmo D.

DOMINO STANISLAO ŁVBINSKI,

ABBATI TINECENSI,

Recens inaugurato, S. R. M. Secretario, authoritate & prudentia per quàm ornatissimo:

A

MATTH: CHRYSOSTOMO BVCZKOWSKI,

Artium lib. Magistro, in Acad. Crac. Contubernij Ierusalem Seniore, ipso die faustissimi ingressûs, gratulanti animo factus, dicatusq; honoris & venerationis ergô.



CHRONOSTICON

Annum, Mensem, diem designans.

LVbInIVs Mystes saCros DVm prêndIt honores,
IVnIVs aVrIcomIs tVnc VehebatVr eqVIs.

CRACOVIÆ,

In Officina Basilij Skalski.



QVid, fera trux, enſem diſtorto lumine geſtans
Exprimit? armatos in fera bella viros.
Fulmineo Patriæ qui auertant enſe pericla:
Regibus & Diuis fortia facta probent.
Cernite Lęchiadę, quantos, LVBYNSCIA virtus,
Protulit, in Templum, militiamq; , viros?
Illorum nituit pietas ciuilibus armis,
Candor at ætherei Regis amore flagrat?
Prę reliquis STANISLAVS digniſsimus ABBAS
TYNECIÆ, viuus laude ſub aſtra volet.

Otiuum mihi & ſolenne fuit inſtitutum, ANTISTES ſacrorum ampliſsime, adhuc eo ipſo tempore, cùm me, fortunasq́; meas, vnà cum ſtudijs humanitatis ac literarum, Reuerẽdiſsimo olim, MATTHIĘ PSTROKONSKI, Epiſcopo Præmiſlienſi, Regni Poloniȩ Cãcellario prudentiſsimo, Auunculo tuo inclyto, Domino meo & Patrono deuouiſſem; vt intra vireta almȩ huius Academiȩ commorando, & literas pro virili ad vſum Eccleſiȩ & cõmodum Regni promouẽdo, Tibi pietatis officium aliquod exhiberem. Natura enim ita comparatum eſt, vt quorum beneuolentiam, vel ſemel etiam aliqua in re laudabili perſpexerimus, de illis omni tempore bene merendi occaſiones inquiramus, fȩlicia quæq; euenire cupiamus, & res eorum in quantum poſſumus dictis, imò & ſcriptis exornemus. Huius voti die hodierna me conſortem eſſe factum vehementer & ex animo lætor. Nam quȩ poteſt eſſe officij promptitudo potior, ea quam grati animi ſignificatio ex intimis cordis receſsibus ſpõte depromit? prȩſertim cùm gratia nihil ſit aliud, quàm memoria officiorũ, in qua alterius remunerandi voluntas continetur. Iuxta huius arbitrium dicuntur homines gratis aliquid facere roganti, non ꝑ re alia, dum, nõ vt ſibi quicquam qui faciunt, ſed vt cui faciunt, bene eueniat intendunt. Quemadmodum enim pluuia terrȩ infuſa, accommodatam plantis ſuppeditat qualitatem, & vim impartitur: Sic gratiȩ munus, dum abditis hominum mentibus illabitur: fieri non poteſt, quin virtu-

tiſsimas cùm laudum amplificatione elargiatur. Quocirca dum te ſanctitate morum inſignem, prudentia rerum illuſtrem, diuina & humana doctrina excellentem, charitate in res diuinas ardentem, authoritate venerandum, & placabilitate naturę admirandum contuear, non alienum ab inſtitutis meis putaui, in ipſo, adeoq; frequenti omnium bonorum virorum applauſu, tibi nouum hunc honorem, quem tibi virtus ſumma, eximia in religionem, Regem, Bonum publicum merita pepererunt, gratulari. Ex eoq; Numen ſupremum ac cœleſte illud venerari, quòd eam mentem Sereniſsimo Regi noſtro SIGISMVNDO Tertio indiderit, vt te veluti Iaddum aliquem in exemplum alijs datum, vel è cœlo Heliam, zelo pietatis inſtructum, ab Aula ſua non ſine affectu dimiſſum, in hoc Conuentu Tynecenſi celeberrimo, in tanta magnorum virorũ perquàm nobili corona, diuinis pręfecerit muneribus, omni vitę decentia tranſigendis. Dum enim Palynuri prudentes, & directores ſtrenui clauum pietatis gubernandũ accipiunt, an non quilibet eorum ſapientiâ Scyllę rabiem, & Charybdis impetus à quopiam euitari poſſe in animũ inducit? An non pacata & placata fore omnia eorum vigili cura & labore, ſibi quiſq; pollicetur? Hinc antiquitas in publicis tripudijs, viris bene meritis, publica decernebat ornamẽta, ſtatuas erigendo, ſacra in honorem inſtituendo, coronis capita redimiendo: ſicq; virtus laborum, illuſtrem ſatis & amplam laudis ac glorię mercedem reportabat. Quid igitur de me ego proferam, nunc dignitatis tuę amplitudinem conſiderans? ſcilicet idem mihi accidere, quod ſolẽ aduerſum intuentibus euenit. Nempe dum radiorũ ſplen-

dore m

poſſunt, hebeſcentia lumina contorquent,& , vix radiante illa mundi face conſpecta,auertunt,ne claritatem oculorũ adeò gratiſsimam amittant. Quare & ego, qui publicè loquor & ſcribo,id eſt,illuſtrium virorum laudis & famę quidam (licet exiguus) buccinator, fulgore virtutum tuarum circumfuſus, dum meritis laudibus eas exornare intendo, vereor ne mea inſulſa oratione,aures tuę purgatiſsimę offendantur. Sed quid facerẽ ampliſs. Dñe? Virtus equidẽ in actione conſiſtit; amorq; ociari non permittit. Eſt autẽ iñatum omnibus, in Bono cõmuni nõ mediocriter gaudere,vtpote quòd ad cultum diuinum,ſalutem Patrię, & noſtrûm,qui te ſuſpicimus,ſpectare videatur emolumentum. Idcirco , licet tu quidem magis exoptas laudanda facere, quàm quę feciſti laudibus exornari : Tamen dicam,non tã mea ductus importunitate,quàm ſingularis animi tui lenitate excitatus : *Factorum tuorum gloriam, ita in omnium ore verſari, vt eam immortalitas comitetur.* Patiare igitur me paululùm in virtutum tuarum prædicatione immorari, & in ornamentis tuis orbi declarandis,aliquantulùm exſpatiari : vt ſic pateat omnibus, Te,ad hanc dignitatis venerationem, per laboris, induſtrię, & ſanctitatis ſpecimina , perueniſſe.

Ac mihi quidem dicere incipienti. Duo videntur, Antiſtes ſacrorum ampliſsime, ex Delphici Apollinis literis, ad vitam rectè decenterq; tranſigendam, maximè eſſe neceſſaria. SEIPSVM NOSSE, &, NE QVID NIMIS. Nec iniuria ſanè. Etenim qui ſeipſum cognoſcit,ad ſuperna illa, & æterna bona erigitur,ita vt in Deum quodãmodo trãſire videatur. Quemadmodum enim ille æternus rerum o-

rem omnibus impartitur, & prudentiſsimè in ſuo tenore conſeruat: ita homo ex ſuprema & diuina mente ortum habens, nihil ducit antiquius, quàm vt corporis amore contempto, artes omnes inquirat, quibus indies melior euadat; & terrenis rebus minimè immerſus, cogitationum fluctus, locutionis momenta, & operationum pondera, rationis regulâ, diſcutiendo, ad vitam ſurſum lucemq; tranſcendat. Quid enim prodeſt, ſi, rerum omniũ naturas ſubtiliter inquirimus, cauſarum momenta efficaciter comprehendimus, effectus mente inueſtigamus, noſmetipſos autẽ ignoramus? Parum eſt, ſi ſpeculum terſum ſit, & auro diſtinctum, vel ebore inſtructum; niſi ſpeciem exprimat penitus, & maculas faciei ſi quę ſunt aqua eluendę ſpectãtibus repræſentet? Ita homo non ex lineamentis corporis quo anima continetur, non ex qualitate ac figura, ſed ex moribus & factis cognoſcitur. Et quidem iniquus rerum æſtimator haberetur ille, qui putaret, corporis, (quod eſt corruptibile) ſtaturam rectã fieri debere, animum autem, qui eſt æternus, humilem & contortum. Cùm figura, & ſtatus, nihil aliud ſignificent, niſi hominis mentem eò ſpectare oportere quò vultus reſpicit, & animum perinde rectum eſſe debere vt corpus, ne id, cui dominari debet, imitetur. Animus noſter, inquit Seneca, modò Rex eſt, modò tyrannus. Rex equidẽ putatur, cùm honeſta intuetur, ſalutemq; corporis ſibi commiſsi curat, & nihil imperat turpe, nihil ſordidum conſectatur. Cùm verò impotens, cupidus, & mollis eſt, tranſit in nomen dirum ac deteſtabile, & fit tyrannus. Proinde, maximum eſt profectò argumentum animi venientis ab altiori ſede, ſi hæc, in quibus verſatur humilia

iudicat

bitat inde exire. Scit enim, quò ſit trãſiturus, qui meminit vnde venerit; præſertim cùm hoc corpus non ſit domus, ſed hoſpitium breui relinquendum, vbi ſe hoſpiti grauem eſſe præbuerit.

Equidem, optimè admodum ac decenter viueremus, ſi vera ſententia de diuitijs vbiq; prædicaretur. Ea autem eſt, corporis gratiâ eſſe diuitias, corpus verò gratiâ animi: indeq; cùm ea bona ſint, quorum cauſa diuitię ſunt poſsidendę, tertium gradum poſt animi virtutem, corporiſq; tenebunt bona fortunę, vtpote quod illis adminiculentur, & hoc pacto ſint eis inferiora. ¶ Iamuerò, & Te ampliſsime Antiſtes, ratio tanquam dux & magiſtra docuit, hominem qui felix eſſe deſiderat & beatus, non oportere diuitias quomodocunq; , ſed cum iuſtitia & temperantia quærere: vt hoc pacto Philoſophi illius μήδεν ἀγάν adimplere, dulce & iucundũ putaret. Rectè Seneca: Si ad naturã viues, nunquam eris pauper, ſi ad opinionem, nunquam eris diues. Exiguum enim natura deſiderat, opinio immenſum; indeq; fit vt rebus neceſſarijs minima ſufficiant, ſuperuacuis autem ne regna quidem. Quemadmodum igitur nihil differt, vtrum ægrum hominem in lecto ligneo vel aureo colloces, nam vbicunq; collocatus fuerit, eò ſuum morbũ transferret. Ita nihil refert, vtrum animus æger, in diuitijs aut paupertate ponatur, vbiq; enim malum ſuum illum conſequitur. Quare, cùm totus vacare animo voluiſti, & pietati te dare à multo tempore didiciſti, nihil aulę blanditijs, nihil voluptatum lænocinijs concedendo, fidem Regi auguſtiſsimo, iuſtitiam & amorem Regni Proceribus, integritatem & animi candorem Nobilitati, deferendo: ab-

iectis

Deo adhęrens, non quidem pauper esse, sed pauperi similis iuxta naturę sufficientiam viuere, hoc in loco sacro instituisti: vt beatę immortalitatis possessionem consequaris. Natus enim es eo in loco, in quo exemplis domesticis abundare potuisti ad omnem gloriam, & militarem, & togatam, comparandam: ideoq; haud difficile te ad magna in Repub. honorum & dignitatum munera consequenda natum esse quisq; poterat coniectari. Quippe natura parens te hominem ad ardua promptum & ad summa quæq; excelsum produxit, ita vt statim à tenero vngue magna quædam & sublimia augusto tuo pectore spirare visus fueris. Hincq; cùm puer adhuc esses, ab optimis atq; nobilissimis Parentibus tam religiosè sanctèq; educabaris, vt nihil tibi placere posset, quod cum aliqua turpitudine cõiunctum esse videretur. Norant illi pro sua prudentia, quẽadmodum in semente terrę mandata, reposita est õnis spes messis, ita ab informatione pueritię reliquam pendere ætatem. Ergo flos ille tuus vernans, ne lappis tribulisq; insolentię & feruoris iuuenilis obsolescat, labore & seueritate confirmabatur; in omni vitę decentia fouebatur; nõ delicijs, non indulgentia in malum soluebatur; non lusibus, nõ iocis situm & squallorem contrahebat, sed disciplinę sole, & humore sapientię in altum ferebatur. Age verò cùm audiuises à Præceptoribus, intellectum, esse veluti rasam tabulam, mortalibus à natura datum; nihil omnino prætermisisti, quod ingenij cultura, & egregia tuę mentis indoles desideraret. Scilicet in spem Reip. crescere Te aduertens, illico ab ipso vitę tuę exordio, varijs artibus & virtutũ ornamentis imbui & informari exoptabas. Et effecisti sanè.

Nam

cinia iecisti: quę ingenij tui decora, in tantùm placuerunt venerabili protunc Academico & doctissimo viro DANIELI SIGONIO, gnauiter Spartam illam exornanti, & pubem tractûs illius non sine commodo erudienti, vt laudabilem conatum vbiq; tuum deprædicaret, in delicijs haberet vti discipulum suauissimum, amantissimus Magister: ac futurum aliquando Te magnum in Repub. passim omnibꝰ denunciaret. (Qui quidē nunc in senecta sua literas Theologicas profitendo cum Sententiarum Magistro, tuamq́; hanc dignitatem contemplando, ô quàm crebris precibus ad cælum manibus, pane & mero ad aras sacrificans, eleuatis, Diuoq́; Floriano in Custodię munere addictus, Numen illud cæleste & æternum colit ac veneratur, quòd superstiti illi, diuina eius maiestas, decoram tui videndi copiã concesserit) Inde verò, cùm Syradiense gymnasium te vno velut aliqua gemma splendidissima gloriaretur, & facile omnibus suis scholaribus anteponeret: Calisium mox diuertisti: Ibiq; instillatam à religiosis Præceptoribus sumens quotidie vitę probitatem & morum decentiam, per aliquot annos iucundissimè in studijs humanitatis, ac literarũ curriculo exspatiatus es, quo pacto linguę Græcę pariter & Latinę puritatē, Tullianę & Demosthenę eloquētię flumina, Poëticę suauitates, doctrinę grauioris oblectamēta, historię nitorem, insuper diuini cultûs & solidę pietatis argumenta non vulgaria comparâsti. Quid ergo? An plura tibi quàm par erat affingebas? Minimè verò. Ex quo enim in declamando suauitatem oris & linguę facundiam, grauissimis auditoribus in palęstra illa virtutum, & scientiarum multoties declarâsti, quà prodesse multis in posterũ

cum ſumma auiditate cæpiſti. Ideoq; in Cancellaria Lęczycienſi cum magno profectu tuo per aliquot tempus cōmoratus es,& tantùm profeciſti eo in ſtudio, quantùm te non pœnitebat laboris. Præeras enim placidiſsimè alijs,& ſigillum officij Caſtrenſis vnà cum libris curę & fidei tuę habens concreditum,omnes ad animi celſitudinem dirigebas. Id quidem erat tibi honorificum maximè, & apud omnes non mediocriter commendabile: Sic enim augurabantur docti, STANISLAVM Lubinski in aulis Regum & Principum regimen aliquando obiturum,& ſecretorum profundiorum, in quibus ſalus Reipub. conſiſtit, participem futurum: præſertim verò cùm omnes tuæ actiones in honeſto magis quàm vtili continerentur,& non tam habendi cupido, quàm ſtudium & exercitatio ad virtutem acquirendam, te exſtimularet. Neq; enim ignorabas ad alliciendas hominum mentes, ſummam eſſe famę potentiam, & nominis celebritatem. Cuius pulchritudo omnes circumfundit,ſuiq; luminis ſplendore vel inuitos rapit,vehementi admiratione delinitos. Et cùm multa, eaq; pręclara legiſſes,ritus patrios memoria tenuiſſes,illuſtria quęq; ſciuiſſes,ad maiora properaſti: vt tam priuatim quàm publicè,tam domi quàm foris clarus & ſpectabilis appareres. Proinde verò,cùm ex ephebis exceſsiſti,in florente illo ætatis tuę curſu,nihil tibi cordi erat magis,quàm literarum ſtudium, & virtutū præmia admirari. Igitur ex ſolo patrio ad exteras te nationes conferre inſtituiſti, vt ciuis patria dignus, & Maioribus tuis non abſimilis poſtmodum tanq̃ Vlyſſes prudēs, aut Cato ſtrenuus,vel pius Æneas, in vſum Reipub. decus Eccleſię, & ornamentum Tuorum Fratrū,

Alberti

Boni communis amantiſsimorum, conſtituaris. Fauſta trias, & omnibus in exemplum vitę perfectioris, diuina affluente gratiâ, propoſita. Felices, qui vos tales genuêre, Parentes: quorum dignitatis amplitudo, & virtutum eminentia, tanquā ſydera non vulgariter ſplendentia, ſed Solem, Lunam, & Heſperum præferentia, Tynecię, Miechouię, & Gneznę, relucent. Non igitur te latebat, ea ætate tua, peregrinationem ſtudioſorum cauſa ſuſceptam, eſſe honeſtiſsimā. Quippe ingenuo & liberaliter educato viro, illud Platonis vel maximè cōpetere, TALEM FIERI OMNINO, QVALIS AB OMNIBVS VELIT VIDERI. Honeſta ſiquidē, quorū eſt honor & laus prœmium, longè ſunt præſtantiora, quàm ea, quorum pretium eſt pecunia; ſunt enim immortalia, & diutiùs permanent, quàm mille pretioſi theſauri. Itaq; his alis ſubuectus, Conſtantię nimirum & Magnanimitatis, tanquam generoſa aquila, vſque in Carynthiam euolàſti, ibiq; manſuetioribus ſtudijs te totum tradidiſti, & in Collegijs Profeſſorum religioſorum pietatem cùm literis, pleno veluti fluminis alueo in omnes ſui ſtudioſos diffundentium, per varia loca tanquam apes ſedula florea rura per errans, dulciſsimum ſcientię liquorem, in ſcrinium pectoris atq; animi tui cumulum congerebas. Deinde verò Peruſij in Italia Doctor I. V. creatus fuiſti; ſciens nobilitatē vel maximè ex ingenij præſtantia promanare. Ideoq; quocunq; te vertiſti, omnibus charus, omnibus iucundus, habebaris: Siquidem alij propter ſuauiſsimos tuos mores ſummopere te diligebant: alij ingenij tui in te celeritatem mirabantur, humanitatem extollebant, & te vnum veluti gemmam inter tot ſpectatiſsimos & nobiliſsimos adole-

 ſcentes

loſophum acutum, oratorem eloquentem, hiſtoricum elegantē, prædicabant. Hincq; omnes ad te accurrebant, bene perſuaſi, Te Herodoto, Thucydide, Liuio, Cicerone, Lipſio, Politiano, plenum eſſe, idcircoq; ſilentium tenebant Te dicente, dum mentem Ariſtotelis pro tua ſolertia attingeres, dum nodos Philoſophię à ſenſu remotiſsimos eleganter reſolueres, dum abſtruſa naturę arcana rimando, ſermone diſerto exponeres, dum Baldos, Bartholos, Iuſtinianos, Maſcardos, & alios prudentes iuris Proceres allegabas, fideli & tenaci memoria comprehendebas, quomodo ius ſuum cuiq; tribuendum ſit, quomodo nemo iniuria afficiendus, dum ad manſuetum vitę genus mortales eloquio tuo excitabas, omnes tunc attoniti vnū te ſuſpiciebant, ex tuo ore, plura audire auidi, pendebant: finem autem dicendi incredibili applauſu excipiebant. O incredibilem Iuris & ſapientię amatorem; eius inquam ſapientię, quę verè liberos, verè nobiles efficit. Non enim illa populare eſt artificium, non oſtentationi parata, non in verbis ſed in rebus conſiſtit: neq; in hoc adhibetur, vt aliqua oblectatione conſumatur dies, aut dematur otio moleſtia, ſed animum format; vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, inter pericula fluctuantium dirigit curſum, & nemo ſine ea viuit ſecurus. Hac duce & comite cognoſcere datur, quid honeſtum ſit, quid turpe, quid iuſtum, quid iniuſtum: quid expetendum, quid fugiendum; quales erga noſipſos eſſe debeamus, qualiter erga Superos, parentes, propinquos, amicos, ſeniores, leges, magiſtratus, liberos, ſeruos, nos gerere expediat. Scilicet vt veneremur Numen ſupremum, parentes honore affi-

ciamus.

cos diligamus, liberos interno quodam animi affectu cō-plectamur, ſeruos iniurioſe non tractemus, & quod ſummum eſt, neq; rebus ſecundis efferamur, neq; aduerſis nimio luctu deijciamur, ſed temperatiſsimè viuentes neq; voluptatibus diffluamus, neq; ira ad ſęuitiam nos abripi ſinamus. Si enim ad curandum corpus duplicem ſcientiā humana excogitauit induſtria, medicinam ſcilicet & gymnaſticam, quarum altera ſanitatem, altera bonam adfert habitudinem: profectò ille mihi induſtrius eſſe, illè potiſſimùm iudicio pollere videtur, qui animorum ęgritudines ac languores per ſolam Philoſophiam curari poſſe cum Plutarcho cenſet, & cum Socrate ab ea ipſa ad omne decus virtutis erudiri. Quemadmodum enim ſpeculum maculas in facie indicat eluendas; ita ſtudium Philoſophię, & Iuriſprudentię cognitio, ad bene beateq; viuendi munus incitat & inflammat: cuius ſplendore qui circumfulget, facilè in aſpectum lucemq; hominum poſsit prodire. Quippe eius ratio aufert ignorantię admirationem ac ſtuporem, certam adferens cauſarum inueſtigationem. Et cum mundi penetralia homines adire nō poſſunt, vt è terreno domicilio illas regiones inſpicerent, eam ducem nacti ſunt beneficio diuino, quo pacto eius inuentis imbuti, etiam per orbis plagas, & ſupra globos illos cæli lucidiſſimos, audeant ingenij acumine, & rationis alis, vagari. Huius inæſtimabiles fructus tu tecum meditando, eoſq; alijs communicare volendo, in Patriam properâſti, vt ſic ſcientię & ſapientię muneribus cumulatus, virtutes aliorū heroicas æmuleris; & in omnes Regni partes, humanitatis iura, pietatis inſtituta, & iuſtitię decora, per laborem

tius Scæuola, veluti fragrantiſsimum liquorem, vel myr-
rhę & thuris odorem diffunderes. ¶ Age verò, cùm ſacris & prophanis literis eſſes imbutus, iuriſq; Pontificij ſanctiones & inſtituta à ſummis quibuſq; viris magnâ cura, ſtudio, diligentia percepta, & tanquam nomen ac digitos tuos habens cognita, in Polonię Regnum veniſti expectatus & optatus omnibus, ſed maximè bonis quibuſq; deſideratus, tanquam flos vernans in Sarmatico prato militiâ claro, & togâ inſtructo appa ruiſti; nihilq; morando, primũ quidem ſacris initiatus ordinibus, apud Illuſtrem Vicecancellarium Regni Tarnauium labor, virtus, & induſtria tua eluxit. Hincq; Illuſtriſsimo ac Reuerendiſsimo Domino Matthiæ Pstrokonski, Epiſcopo Pręmiſlienſi, Regni Polonię Cancellario ampliſsimo Auunculo tuo adhærens, fidelitatẽ, promptitudinem, indefatigabilem animum ſemper quidem & vbiq; exhibuiſti, ſed potiſsimùm in illis cõmunibus, & nunquam deplorandis ob rei atrocitatẽ motibus publicis & bellis ciuilibus, omnes expeditiones, reſponſa, conſilia, decreta, conſtitutiones, tuo genio & ingenio, tuo Marte & arte, elaboratę, & ſcriptis exaratę ex auguſto S. R. M. ſacratiſsimi concilij ſacrario in apertum prodibant. His naturę præſidijs tectus, & virtutum auſpicijs ac literarum ornamentis condecoratus, quaſi de manu in manum Regi potentiſsimo & ſapientiſsimo Sigismvndo Tertio traditus, intimorumq; conſiliorum & arcanorum illius factus particeps, ita fidẽ, integritatemq; tuã probâſti, vt grauiſsima quęq; negotia, tuę induſtrię poſtmodũ & celeritati cõmiſſa fuerint. Nãq; ille Cancellarivs prudentiſsimus & vita olim ſanctiſsimus, cùm eſſet non modò os

&

cor etiam & oculos manſuetiſsimi Regis, o-
mnes à diſceſsione ad concordiam, à ſimultate ad beneuo-
lentiam reuocabat; & tibi veluti Atlantici oneris partem
non mediocrem demandabat. At verò cùm pax aurea re-
dijſſet, & optata Regno concordia ſuccreuiſſet, emenſus
tantos labores, tantis moleſtiarũ fluctibus tranſactis, quid
non faciebas, quid non animo tuo moliebaris? Nunc enim
ſupremum Principem, & totius mundi Monarcham, votis
compellabas feruentiſsimis, qui ſerò licet, ſed reſpexit ta-
men, & ſorbentes illas procellas, ac ventorum ingruentes
fragores, ſeu inimicitiarum horrores, vno impetu diſpulit,
& poſt nubila Phœbum ac ſerenitatem, id eſt, animorum
coniunctionem, induxit. Nunc diuinam bonitatem, ſapi-
entiam, & potentiam conſiderans, adeò zelo pietatis in-
ardeſcebas, vt animus tuus commorans in terris, corpo-
riſq; incluſus compagibus, ex ipſo carcere euolare, libe-
rumq; ſe ad cœleſtia contemplanda erigere, enixa ratio-
nis indagine, videretur. Et verò, cum fata iniqua ſuſtuliſ-
ſent Atlantem illum diuinum, Illuſtr: PETRO TYLICKI
prudentiſsimo Regni Polonię Senatori, Epiſcopo Craco-
uienſi te commodâſti, in aulaq; eius Cancellarium agens,
non vulgaria ibi virtutum tuarum ſpecimina declarâſti,
plurima quoq; Bono Communi ſeruientia à tanto ſacro-
rum Principe hauſiſti. Quẽadmodum enim qui prope fon-
tem limpidiſsimum opus aliquod manuale exercent, aren-
tem ſitim aqua reſtinguunt: & qui in ſole incedunt, fuſci
euadunt: Ita qui cum Magnatibus cõmorantur, & con-
ſortium habent cum viris illuſtribus, fieri non poteſt quin
& ipſi clari & illuſtres reddantur. Has itaq; animi tui dotes
perſpectas iamdudum, & dexteritatem tuam commen-

ornatissimum, inuitat ad sua Te obsequia, & Regni negotijs secretioribus destinat. Te carum sibi & iucundum habet, tibi cordis intima recludit, regimen Cancellariȩ cōmittit, beneficijs Ecclesiarum Cathedralium auget, Prȩpositura Gnesnensi, & Cantoria Cracouiensi dignatur. Sūma enim magnitudine animi, rerum moderatione, naturȩ placabilitate, morum comitate, verborum affabilitate, ita Aulicorum moribus conuenienter viuebas, vt politica illa exempla seu potius aulica vitia, quibus passim applaudunt pleriq;, exosa tamen haberes. Non enim tu fraude cum versutis hominibus, sed veritate cum candidis; non simulatione cum adulatoribus, sed candore animi cum simplicibus; non luxuria cum profusis, sed continentia cum tēperantibus: non fastu cum superbis, sed submissione cū demissis hominibus certâsti, quò nominis tui amplitudinem & famȩ decus, latè admodum extendisti. Vidit equidem Rex sapientissimus & pientissimus Fidem tuam in difficilibus & arduis quibusq; negocijs sustinendis, perspexit integritatem in pertractandis grauissimis causis, approbauit ingenium ad summa quȩq; natum, semper enim in corde tuo γνῶθι σεάυτον expressum vidit, sēper in ore μὴ τά ἴδιςα, ἄλλα τα κάλλιςα adnotauit: ideoq́; res tuas promouere cupiens, & merita tua in te coronare volens, cum Prȩpositura Lȩczyciensi, Magni Secretarij munere amplo & illustri virtutem tuam adornauit. Quod quidem tu summa cum laude & gloria obiuisti, sacrosanctè silentium conseruâsti, in arcanis ori clausulam & linguȩ frænum (quod sapientiȩ est maximum indicium) iuxta Socratis documentum in omnibus admonuisti; Sciens ægrè admodum res graues

ab

ſplendor,& argenti copia,quę eſt ſupra terram,vel ſub terra virtuti iure comparari non poteſt, ideo pietatis ſtudium, temperantia, fortitudo,& perſonę tuę dignitas,adinuenit viam,quâ decurrens, etiam Regi æterno illi,qui ſupera & infera regit, ac nutu ſuo tremefacit terram, placere valeres. Igitur inſpirauit eam mentem Regi auguſtiſsimo,& in omni Fortuna,tanquam Iano bifronti,exercitatiſsimo, vt ABBATEM Tynecenſem te, præ multis alijs prenſantibus, vix aliquid tale cogitantem,nominauerit, & Antiſtitem ſacrorum in ordine Sancti BENEDICTI conſtituere voluerit. Quo facto,quid potuit præſtare decentius? quid ſublimius? Nam cùm operationes ſecundùm vitutem ſint dominę felicitatis,q.d D.Benedicti deifico nomine auguſtius? quid beatius in vita hac mortali & ærumnoſa,eſſe poteſt? Beatum igitur ego te & felicem prædicabo,cui Charybdi, id eſt, vitę genere turbulento omiſſo, & ſupra Scyllæam rabiem præteruecto, in placidiſsimo portu cultûs diuini,datur conquieſcere. Sic enim Chriſti exæſtuans amore, perfectionem virtutum, tanquam in oculis Regis ſupremi Dei, explens, & conſortio Religioſorum virorum tanquam Beatarum mentium gaudens, finem vltimum (non his externis, ſed internis illis plenis diuini numinis oculis) reſpiciens, æternitatem ſeculorum contemplatus, vanitatem mundi,cum ſapientiſsimo illo Salomone,aduertens, cum Doctore Gentium Paulo,tuam conuerſationem eſſe in cælo,hac iam ad maturitatem vergente ætate, iure merito potes affirmare. Neq; enim (vt ſpes eſt) mittens manum in aratrum, retro aſpicere fas duces; ſed tanquã generoſa aquila, in omni manſuetudine animi, oculorum

politici ſplendoris cum ſtrepitu faſtum intendere, laudi attribues. Præſertim cùm non ignores, laudem tantùm eſſe virtutis: cuius gloria non exoritur ſubitò, ſed poſt diuturnũ tempus capit authoritatem. Fit equidẽ plerumq́; vt ignauiſsimi homines, nihil curent, quę de ipſis opinio ſit futura: probatiſsimi autem viri, cuncta faciunt, vt in futuris ſeculis bene inter homines audiãt. Sic Bellerophõ Pægaſo ſubuectus, Chymæram proſtrauit, & nomen ſuum, per conſtantiam, immortalitati conſecrauit. At Heroſtratus, impietatis hucuſq; arguitur, quòd Dianę templum Epheſijs exuſſerit. ¶ Quocirca, cum ſcientia & authoritate plurimùm valeas, caritatis vinculum paſsim omnibus exhibeas, experientiam rerum tam diuinarum quàm humanarum habeas, bonis auibus cape virtutis tuę præmium, vitę decentioris principatum. Tu enim iſtud agmen agis militię Dei, & vnus es, qui τῇ φρόνησει μόνῃ ἡγῇ φρατόρας πρὸς τὸ ὀρθῶς πράττειν. *prudentia ſola præeas alios, & ducas fratres ad rectè faciendum*, vt pręfectus Gregi Domini, excubias pro eo quàm diligentiſsimè agas, & omni contentione etiam teipſo neglecto caueas, ne quid detrimenti hæreditas Chriſti patiatur. Inſuper quia Academicum virum præceptorem primum habuiſti, etiam Academię oculos & ora in te conuertas, (quę Regni totius eſt ſplendidiſsimum ornamentum, & omnium tam qui de Repub. bene ſentiunt, quàm etiam qui in virtutibus ac literis ſolidè promoueri intendunt, ad dignitatemq́; maximam aſpirant, illuſtre in Septentrione & antiquum Seminarium) Academiciſq́; viris, qui te colunt & obſeruant, gratiam præſtes & liberalitatem: ſciẽs Herculem Maſageten fuiſſe ab antiquis appellatum: & Me-

cœnatis

vocabulum, ex eo, quòd literatis viris, id eſt, Muſarum cultoribus, eſſent fauētiſsimi, eoſq; ad honores promouiſſent. Non enim dubitabant illi, vt hedera ſine fulcro, vitis ſine vlmo, in altum ſe erigere neutiquam valet: ita ingenia etiam optima, ſine patronorum præſidio, ac tutela, nequaquam poſſe ad maturitatē, ſcilicet, in Boni publici vſum peruenire. Sic famę tuę dignitas, literarum amplitudo, ſcientię vbertas, vitę probitas, & animi manſuetudo, à doctis omnibus commendabitur, & florida ac vigens TVA LAVS in omni STANS perpetuitate, Diui STANISLAI patrocinio decorata, ad poſtera vſq; ſecula tranſmittetur. At vos, quibus cordi eſt pietas, & vitę ſanctimonia, agite dies lætitię; felices vos prędicate, tantum nacti virum, qui dictis, & factis, in ſeipſo omnia exprimit, boni Prędidis & Doctoris ornamenta. Hoc authore tam religioſo, tam ſancto, tam pio, nihil eſt, quod amplius deſideretis, nihil quod nō ex animi veſtri ſentētia vobis cedere in poſterū polliceāini: nihil ꝙd nō ab im̄ortali Deo facile impetretis. Proinde in hoc tanto apparatu, in tanta ingreſſûs illius ad vos celebritate, vna voce mecum, vno animo, vno conſenſu, primùm immortali & ſupremo illi Moderatori Deo pro tanto tamque immortali beneficio gratias agite immortales: Deinde, votis & precibus ſuppliciter Numen eius obteſtemini; vt, quem ſua benignitate fidei cuſtodem, religionis amplificatorem, religioſorum veluti parentem, ac Præſidem ſacrorum, Conuentûs iſtius Ordinis Sancti BENEDICTI ſupremum protectorem, & bonorum eius accumulatorem, vobis hodie conceſsit vegetum, & hilarem; etiam incolumem & ſaluum, imò bene-

R. Eccleſię, in huius Regni, & ſtatûs, columnam, conſeruet, ac tueatur. Nos certè qui publicè loquimur & ſcribimus, in laudes tuas ōni promptitudine euehemur, & Famę tuę celebritatem, diffuſiore calamo (ſi nobis tui vultûs ſerenitate addes animū) cælotenus efferemus, Tibiq; in tā āplo Honore cōſtituto, ſempiternā precabimur immortalitatē.

DIXI.

DIVORVM, PETRI ET PAVLI CONVENTVS

Tynecenſis Tutellarium in Aduentu Noui ABBATIS *proſphonema, cum beati Patris* BENEDICTI *applauſu.*

STANISLAVS LVBINSCIVS ABBAS TINECENSIS.

Anagrammatiſmus.

INSTA SALVS NITENS, SIC BEABIS. LVBENS CAVI.

Od. *Choriamb. dic. diſtr.*

QVisquis, ſub pedibus, terit,
Quod miratur, inops conſilij, puer:
Prudens dicitur eſſe vir.
Non teſtas, reputat, diuitis inſulæ
Conchas eſſe: nec aurea,
Quamuis fulua, videtq; aurū imitātia:
Sunt, fictilia vaſa, ei.
¶ Quid tu digne polo STANCESILAE
LVBINSKI. decus inclytum (vir
Regni, ſub pedibus ſicne probè tibi
Mundus, noxa, caro, iacet?
Cauiſtine ſatis temnere, quæ nitens
Virtus ſuaſit, in ardua
Te attollens? Honor aut quæ approbat,
INSTA principijs, SALVS, (arripis?
Exoptata tuis conditionibus
SIC intenditur, aurea.
Plaudunt Terrigenæ, & Cælicolę Tibi,
Abbas clare ſolô, & polô.
Prudēs, crede ſapis, ô bene, ſic NITENS
Diuinâ ſapientiā
Polles Iure, tuosq; Artibus inſtruens
Fratres, ritè BEABIS. An
Te felicior, aut teq; beatior
Midas, Cræſſus & aurifer?
Conſtans, perpetuâ ſacra regens Fide
Templa, cælica proſpicis.)
Inconſulta, caue, ne tibi res cadat:
Factum ſine proba tuum.
Iſtis ſe gradibus fert Benedictio.
℞. CAVI cuncta. LVBENS ego
Quæ profeſsio vult, Relligio docet
Exopto fieri. nitor
Haud Aulæ rutilans me malè diſtinat.
Quid ſunt omnia? Vanitas. (lum.
Fælix, qui auricomum, mente ferit, po-